



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Disc. LXXXV. Bonon. fideicommissi de Argile. De eadem materia consil. 21.
Oldrad. An scilicèt & quando ab eo recedatur, ita ut filii in conditione positi
non faciant deficere substitutionem, sed ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

lineam ex conjecturis hic abundantibus, illa præferunt vocationis lineæ bastarda post extinctam lineam legitimam, unde propere hæc tota per necessarium antecedens vocata dicebatur, atque constabat testatorem ad se ipsum reflectendo unam solam lineam considerare voluisse. Dicebam Ego versari extra casum quæstionis, dum omnes tam alienantes & defecti, quam actores erant de una eademque linea Angeli unius ex filiis, & sic non cadebant termini reciproæ linearis, ut fuit etiam sensus Roræ, restricta difficultate ad detractiones in solo facto consistentes ob quas, vel ratione excessus prodit resolutio, cujus revisio pendet super infirmatione sententiæ, & sic ex facto potius quam ex jure.

- 8 Prohibitio alienationis quomodo in proposito ponderanda.
 9 De regula, ut singula quæ non profunt unita iuvent.
 10 An & quando remotior oblata cautione admitatur ad fideicommissum non comparante proximior.
 11 Existencia persone de genere primo vocato impedit purificationem fideicommissi ad favorem alterius generis, licet non compareat, nec succedat.
 12 Quando non curante proximior fiat locus remotiori.
 13 An vocatio proximior terminet in primo, vel habeat ulteriorem progressum ad theor. Cumani.

DISC. LXXXV.

BONON. FIDEICOMMISSI DE ARGILE.

P R O

AUGUSTINO NANNO.

Responsum pro veritate.

Decadem materia *consil. 21. Oldrad.* An scilicet & quando ab eo recedatur, itaut filii in conditione positi non faciant deficere substitutionem, sed censeantur sub eorum nomine vocati & gravati omnes descendentes in infinitum.

Non comparante proximior vocato ad fideicommissum, an remotior secundo loco vocatus possit illud petere oblata cautione restituendi proximiori venienti, Et aliqua de theorica *Cumani*, An scilicet vocato proximior, vocatio terminet in primo, vel transeat ad sequentes.

S V M M A R I V M.

- 1 Falli series.
 - 2 Certum iudicium consulendo hodie dari non potest in materia fideicommissaria.
 - 3 De consil. 21. Oldradi communiter recepto, & illius ampliationibus.
 - 4 Ex vocatione activa non inferitur ad passivam, unde filii in conditione positi si sunt vocati, non sunt gravati.
 - 5 Fallit ex conjecturis.
 - 6 Ponderantur aliqua conjectura.
 - 7 De ponderatione, ob quam sub nomine filiorum in conditione positorum testator intellexit activè & passivè de tota descendencia.
- Cardin. de Luca de Fideicommiss.*

I Oannes de Argile instituto Iulio Casare substituit Pompilium alioque ipsius Iulii Casaris filios masculos nascituros, quos omnes invicem substituit, & si dicti Iulius Casar, & filii instituti & substituti quocumque decederent sine filiis & descendibus masculis legitimis & naturalibus, tunc & eo casu ultimo ita decedenti substituit Georgium agnatum ejusque filios masculos ex legitimo matrimonio natos, qui domum testatoris habitare, ac apertam tenere deberent, atque deficiente linea masculina legitima, & naturali Georgii, voluit hæreditatem pervenire ad pauperiorem masculum ex descendibus à filiabus ipsius Iulii Casaris, qui similiter deberet domum testatoris habitare, ac apertam retinere, atque uti ejus cognomine & insigniis, Et hæc de causa, ut bona remaneant in familia & perveniant ad institutos & substitutos ordine quo supra prohibuit alienationem & venditionem bonorum, quæ in eodem testamento descripsit annullando alienationem quatenus fieret.

Cum autem ex Pompilio fuisset superstes Franciscus in Religione capaci professus, illius morte sequuta, de tribus pro veritate consultus sui ex parte Augustini Nanni ex dicto Iulio Casare descendente per lineam femininam; Primo scilicet cum per obitum Pompilii cum filiis defecta esset conditio sequentium substitutionum juxta *consil. 21. Oldrad.* itaut bona effecta essent libera Francisco, cui Monasterium successit, vel potius fideicommissum adhuc duraret.

Secundo quatenus duraret, An non comparantibus Georgii descendibus agnatis primo loco vocatis ac extantibus, jus competeret dicto Augustino pauperiori per feminam descendenti in agnatorum defectum vocato, agere ad fideicommissum, ejusque bona vindicare; Et tercio, an vocatio dicti pauperioris descendenti per feminam terminaret in primo vocato, vel ulteriorem haberet progressum in ejus descendencia.

Quoad primum, respondi quod hodie in quacunque materia, ob tantam decisionum & consiliorum, varietatem, tutum ac certum iudicium dari non potest, multo minus in materiis conjecturalibus in quibus sæpe sæpius, quod uni album, alteri nigrum videtur, quamvis uterque rectissima intentione ad solam veritatem respiciat, quoniam omnes regulæ, ac propositiones habent hinc inde canonizantes decisiones & auctoritates; Et ideo tota difficultas consistit in congrua applicatione, & consequenter requirentibus mea est respondendi consuetudo, quid in ea facti specie ex ejus circumstantiis si essem iudex pro meo iudicio sentirem.

In proposita verò facti specie, respondendum credidi pro fideicommissi existentia & duratione; Licet enim testator ad alios substitutionum gradus, primò ad favorem agnatorum descendendum à Georgio, & deinde ad favorem pauperis descendens à Iulio Cæsare per feminam processerit in casu obitus Iulii Cæsaris ejusque filiorum sine filiis & descendibus masculis, quæ conditio defecta videtur, dum ex Pompilio Iulii Cæsaris filio fuit superstes Franciscus juxta *consil. Oldrad. 21.* quod esse ubique receptissimum latissimè comprobant *Adden. ad dec. 632. par. 5. rec. tom. 3.* ubi plena manu allegantur auctoritates frustra transcribendæ cum sit hodie factis plana propositio.

Et in specialibus terminis nostris, ubi scilicet substitutio ordinata est in casu obitus sine filiis, etiam si essemus in casu, quo filii in conditione positi censentur vocati, ac etiam si ulterior substitutionum progressus agnationis favorem respiceret, quia dicuntur dispositiones consecutivæ, habemus *dec. 230. p. 2. divers. & clarius in Romana domus & viridarii 27. Januarii 1597. coram Corduba*, & *dec. 249. num. 5. 5. & sequen. & dec. 272. p. 6. rec.* in quibus præteritum prima n. 6. & sequen. bene firmatur quod ex vocatione activa non inferitur ad passivam, quodque dato ut filii in conditione positiorumque descendentes censentur vocati, non tamen sequitur eos censei gravatos ad favorem alterius generis vocati sub dicta conditione non existentia filiorum, quod etiam firmatur apud Merlin. *dec. 269. num. 3. in Romana fideicommissi de Mutis 30. Januarii 1654. coram Cerro*, & frequenter in aliis, in quibus in specie canonizatur opinio *Maresc. variar. lib. 1. variar. cap. 41.* ubi latè has partes tuetur & probat, & habetur in *disc. præced. ad hanc materiam.*

Attamen ab hac regula, quæ generaliter est vera & recepta, receditur ex conjecturis, ex quibus sub nomine filiorum, demonstrati, atque vocati & gravati censentur omnes descendentes usque ad ultimum morientem absque filiis, cui inunctum censetur onus restitutionis alteri personarum generi, cum indubitatum sit ex conjecturis passim à *d. Oldrad. consilio* recedi, ut ad nimiam fatiæatem cumulando nedum auctoritates, sed *Rota Romanæ*, ac totius ferè Orbis Tribunalium decisiones deducunt *Add. ad d. dec. 632. par. 4. recent. tom. 3. Mantie decis. ultima Rot. dec. 248. par. 7. rec. decis. 108. p. 9. Octob. decis. 113. & 178.* Et in specialibus terminis casus nostri, quod scilicet conditio si sine filiis, adjecta illis primi gradus, ex conjecturis censentur repetita nepotibus & ulterioribus descendibus sub filiorum nomine demonstratis, sunt plenissima ac magistrales decisiones in *Romana fideicommissi de Mutis 19. Februarii 1646. & 15. Januarii 1648. coram Melio*, quatum prima est impressa *dec. 385. par. 9. rec.* easque ad effectum successivi ac reciproci fideicommissi in ulterioribus descendibus canonizavit *Rota in Romana fideicommissi de Maximis coram Pirovano decis. 18. par. 8. recen. 14. Martii 1653. coram Cerro*, in eadem 24. Martii 1659. *Bevilacqua*, ut *disc. præced.* quoniam *d. consil. 21. Oldrad.* procedit ubi conditio adjecta est uni vel pluribus personis certis & determinatis, secus autem ubi desumitur, illam esse adjectam certo generi plurium graduum & personarum.

In casu autem de quo agitur, quod testator sub nomine filiorum universam lineam & descendendam masculinam demonstrare voluerit, constare credebam ex pluribus, & præcipuè ex conservacione

agnationis, quam ob eo fuisse apprimè demonstratam, constabat evidenter, tam ex ratione ipsam expressè adjecta in prohibitione alienationis, ut bona remaneant in familia, quam ex frequentibus semper repetita in omnibus substitutionum gradibus qualitate masculina, ac legitima & naturali legitimo matrimonio, ac etiam ex transmissione agnatos collaterales ferè extraneos in conditione propria linea masculina, & spretis propriis nepotibus; Et demum quod ubi testator agnatio tam effectiva quam contentiva dicitur, vocavit solos masculos per feminam descendendam cum onere assumendi cognomen & indigenam, quod est signum manifestum voluntatis respiciendi ad conservacionem agnationis, & deductis *dec. 95. p. 11. rec.* & plures in præcedentibus; Ubi enim viger ratio agnationis, alibi ad hunc effectum potentissima conjectura, & probatur in supra allegatis decisionibus præsertim in dictis *de Mutis coram Melio*, in quibus testator cum cumulatur decisiones, & auctoritates aliis in præcedentibus.

Huic potentissima conjectura, non excluditur ex tot reiteratis & uniformibus dispositionibus sultanti ac cedebat altera, quod testator in omnibus substitutionum gradibus desideravit eorum apertam retineri, quod ad oculum obsequio fideicommissum perpetuum & successivum omnibus omnibus lineis vocatis, Ac etiam quia cum tanta diligentia in eodem testamento distinctio bona, quorum conservacionem in familia desideravit; Improbabile siquidem omnino esse servabam, ut testator adeo summo studio substitutionum gradus ordinare, aliaque dispositas adhibere voluisset, si sub conditione, quæ viximo tempore defecere poterat voluisset liberi libera, & ad extraneos hæredes transmissa bene demonstratur in *Bonon. fideicommissi de Mutis 24. Januarii 1648. coram Arguelles* alia confirmata.

Quodque testator sub nomine filiorum transmississet, tam respectu vocationis, quam generis demonstrare universam descendendam, etiam quoque observabam ex secundo substitutionum gradibus in persona agnati transversalis, quia desideravit ejus filios, & tamen transiendo ad ultimum substitutionis gradum ad favorem pauperis descendens per feminam, posuit in conditione universam dicti agnati lineam, quam in præcedentibus dispositione nullatenus vocaverat, dum solus masculis masculis mentionem habuit, signum est quod sub nomine filiorum de universa linea descendenda in ordine ad vocationem actum ad hanc livam intellexit.

Nec obstare credebam, quod ratio conservacionis bonorum in familia, adjectam habere vocationem ad institutos, substitutos & vocatos præcedentibus, istud enim esset fortissimum obiectum, quod prætenderetur ex ista sola ratione deducti ampliativam seu extensionem fideicommissi de personarum personam, secus autem ubi dicta ratio non demonstratur tanquam dispositio ampliatiua fideicommissi, sed quædam conjectura, seu demonstratio voluntatis testatoris super conservacione agnationis pro qua conjectura ac demonstrationes concurrentes non singulariter considerandæ, sed unitè & conjunctè, ut singula quæ non profunt nisi in unum, quæ conjuncturalibus passim servandam esse testator ex deductis per *Buratt. & ad. decis. 311. Octob. d. dec. 113. 138. & 177. Fulginatez* & *Tom.*

Martii 1658. Et prima Martii 1660. coram Bevilacqua, in ditijs de Mutis coram Melio cum alijs in terminis successus à consl. Oldrad. per Aaden. ad dictam decis. 692 par. 4. recent. tom. 3.

Hinc inferrebam non obtare auctoritates & decisiones in contrarium facientes, & præsertim dictas decisiones in Bononien. de Barzellinis decis. 249 & 272. par. 6. recent. quia in earum casu cessabat ratio conservationis agnationis, dum filiis deficientibus testator pro certa parte vocabat feminas, quæ agnationis contemplationem cessare faciunt, ut in individuo his decisionibus respondetur in d. secunda Romana de Mutis 15. Januarii 1648. Melio S. quia in casu &c. ubi etiam respondetur in specie ad decisionem in Romana domus & viridarum coram Corduba, quoniam ibi non tractabatur de continuatione fideicommissi favore agnationis, sed favore Hospitalis, prorsus extranei, idcirco à diversis licitum non est facere illationes, ut etiam advertitur supra disc. 82. ideoque attento toto contextu testamenti ista mihi videtur genuina testatoris voluntas.

Quoverò ad secundum quæsitum, valde dubitabam quod probata existentia descendendum legitimorum de linea masculina agnati primo vocati, non posset ad hoc fideicommissum aspirare dictus Augustinus, adeò ut non suffragaretur cautionis oblatio juxta cautelam traditam per surd. conf. 359. num. 15. & sequen. sæpè approbatam à Rota præsertim in Faventina bonorum 27. Junii 1659. coram Cerro, ubi concordantes, quoniam hoc procedit, ubi vocato certo genere personarum in eodem substitutionis gradu cum ordine proximioritatis, unus comparet, qui de illo personarum genere se probat, tunc enim altero non comparente, non tenetur quis probare se proximiorum, sed sufficit esse de illis, quorum vocatio purificata est, præsertim tamen dicta cautione de restituendo proximiori venienti, & in his terminis procedunt dictæ auctoritates, & alix apud eas cunctilatae.

Secus ubi veniens est de diverso personarum genere in diverso substitutionis ordine vocato, postquam linea vel genus primò vocatum defecerit, quia donec extent personæ de linea vel genere primò vocato non dicitur purificata conditio suæ vocationis, quamvis illi non compareant, neque successionem obtineant; cum ipsa existentia de facto sufficiat ad impediendam conditionis purificationem, atque gravatus repellere illum potest per exceptionem non purificatæ conditionis ut dec. 151. par. 3. recent. latè in Romana fideicommissi de Soricis 22. Maji 1643. coram Carillo, inter suas dec. 266. atque de tempore proximo huic responso talem sensum habuerat Rota in Bononien. fideicommissi de Sala 16. Januarii & 22. Maji 1662. coram Verospio de qua supra disc. 71. ideoque cum pauper proximior descendens per feminam esset vocatus, deficiente linea masculina agnati primò vocati, sequitur quod donec ista superest, non dicitur purificata conditio suæ vocationis.

Nil obstante, quod non curante proximior agnoscere fideicommissum, fiat locus remotiori, Tum quia id procedit intra personas ejusdem generis, ad cuius favorem casus fideicommissi est purificatus ut supra; Tum etiam quia procedere posset, ubi ageretur de apertura fideicommissi penalis in casu prohibita alienationis; Vel demum ubi testator continuam bonorum perseverantiam in illis de familia desiderasset, abhorrendo illorum transitum vel permanentiam in extraneis, quo casu Monasterium neque durante vita monachi succedit juxta

conf. 96. Altograd. volum. 1. & in his terminis procedit decisio in Romana, seu Vrbevetana successus 22. Maji 1662. coram Albergato; neque videbatur casus practicabilis ac testatoris voluntati adaptatus, quod scilicet dictus proximior per feminam descendens allumeret cognomen & insignia testatoris, & quod deinde descendentes agnati primò vocati jam extantes, mutata sententia ab eo bona auferrent, sive quod illis negligentibus, id agerent eorum filii & descendentes.

Quoad tertium quæsitum, Dixi regulam esse, ut vocatio terminet in primo juxta theoreticam Cumanii 13 in l. cum ita §. in fideicommissis de legat. secundo, ex eadem tamen theoretica resultat receptissima limitatio ubi conjecturata testatoris voluntas aliud suadet, ut cæteris allegari latè ac bene deducitur in Bonon. fideicommissi de Bolognini 26. Novembris 1644. coram Ghislerio in Bonon. fideicommissi de Guidottis 14. Januarii 1648. Arguelles, Bonon. primogenitura prima Iulii 1654. Bibio, decisio. 336 parte 11. recent. in quibus in specie ponderantur tanquam sufficientes conjecturæ reluctantes à conservatione agnationis, à digressu ad tot gradus substitutionum, & super omnia ubi urget sicta renovatio agnationis & familiaris, quæ utique satuta fuisset, si in primo vocato bona effici deberent libera, & ad extraneos transitoria, unde mihi videbatur, quod essemus in casu indubitato.

LAURETANA FIDEICOMMISSI

PRO

PETRO BURATTO

CVM

CREDITORIBUS ACCURSII
BURATTI.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Petro.

Ad eandem materiam conf. 21. Oldradi, quando intret ejus decisio vel potius limitatio, itaut positio in conditione filiorum importet etiam eorum vocationem activam & passivam cum successivo fideicommissi; Et an verba, Ita quod bona semper remaneant in descendencia, dicantur stare principaliter ad inducendum fideicommissum, vel potius consecutivè, quatenus scilicet gravatus moriatur sine filiis.